

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

angusta casa hospitans, & contra Papam scribens, D. Petro Martyri: velle ego, quod in tuum sinum effundo, ultra illam consensionem in causa sacramentaria inter Calvinum & Bullingerum edita, extare eam verè catholicam, olim 1536. Wittenbergæ communibus votis sancitam & hactenus religiose servatam, perpetuoque servandam. Valde mihi dolet, paulatim magni nominis viros quosdam magis in Cinglianismum quàm Lutheranismum propendere, quasi vero non plus satis sit alioqui certaminum, agonum & turbarum, Cur non sincero syncretismo inter tot scandala utimur? Libenter D. Sultzero de iis & aliis scriberem Basileam, quem pro bono Nathanaele habeo. Sed forte hisce diebus ad D. Langerum nuntium habeo, quem aliqui etiam suspectum habent de Cinglianismo. O si noster Bucerus superesset? Sed ita iusti colliguntur ad suos. Nunc adeo certi nihil novi, quàm quod mussitatur, ad Trium Regum comitia Augustæ processura, etsi non ipse Cæsar intererit, sed ejus Pro-Cæsar & Rex Ferdinandus. Sperant quidam inter Albertum Marchionem & suos adversarios transactionem instituendam, post tot urring; acceptas clades & calamitates. Cæsar Mezentium iussit arma deponere. Itidem facient præfidia in Schweinfurdo. Caleti congregientur Maria Cæsaris soror, & Angliæ Regina, pro qua Helena tot proci &c. vide ut *αὐτοῦ δ' ἴσως* omnia. Tu condona & recognosce, atq; si per otium licet, rescribe. Judicium curavi hoc describi à meo ad hni Aarone Mango, nostro Negelino bene noto, qui & ipsum salutat. Bene vale cum privata tua & publica Ecclesia & schola, hujusq; proceribus. Reverenter autem te resalurant, quos tu officiose salutasti. Raptim Tubingæ ipso Johannis Evangelistæ 1553.

T. Cl. Obsequentiss.

M. Frechtus.

XVII.

S. D. Reverende Vir & cariss. frater:

Fatum hoc est extremæ senectæ mundi, quo propter vetera & recentia magna scelera duriter quassantur & imperia & Ecclesiæ. Nec tantum rabies adversariorum nostrorum, & petulantia ingeniorum, sed etiam *αἱ ἀνδροκρατί* πολυπραγμοσύναι turbant Ecclesias. Indicuntur Synodi, sine gubernatore, Hessiaci huc venerunt & isthuc Sledanus, præter hos & me & meos collegas nemo adfuit. Nunc audio moliri quosdam, ut alia Synodus indicatur. Utinam Principes audirent meliora consilia. Te rogo, ut mihi quamprimum scribas tuum judicium de hoc nostro brevi colloquio. Scripsi enim
narratio-

narrationem, ut referre aliquid Legati suis possent. Et quanquam simplicissime omnia scripta sunt, tamen calumnias metuo. Vestræ Ecclesiæ & urbi tranquillitatem opto, & oro Filium DEI, ut vos & nos gubernet. Oro etiam, ut exules Anglos, & Petrum Martyrem amanter complectaris. Ipsi etiam scripsi, & eum adhortor ad tuendam Ecclesiæ vestræ concordiam. Bene vale, die 29. Maji.

Philippus.

XVIII.

S. D. Clarissime D. Doctor, patrone colende.

VERBIS non possum explicare, quam mihi grata fuerint & epistola tua, ex qua undiquaque plurima paternæ erga me benevolentia tuæ illustria testimonia elucebant, & munus *παρρησιας* amplissimum, & pia ac ardentia vota pro conjugii mei tranquillitate facta, quæ efficacia esse nunc quotidie experior. Cum autem gratitudinis meæ significationem vicissim tibi ostendere nunc nulla re alia possim, quam memori ac grata mente: DEUM oro, ut ipse tibi meo nomine gratiam cumulatè referat. Ego quoque, si DEUS mihi facultatem præbebit in patria tecum conjunctius vivendi, meam observantiam ac pietatem erga te omni officio declarare studebo. Nuper accessit sum literis inclyti Principis Palatini in Academiam Heidelbergensem, & accedunt exhortationes gravissimæ mei Mæcenatis & carissimi patris mei, cujus senectam mutuo conspectu & complexu levare, eique coram voluptati & ornamento esse toto pectore optarim, sed sesquiannum adhuc meâ promissione huic oræ Balthicæ alligatus sum. Quod si Deus mihi prorogabit vitam, interea in patriam expatiabor, & de toto cursu vitæ meæ coram tecum, tanquam altero parente meo fidelissimo, meique amantissimo, colloquar. Hactenus sex annos, tantum in schola mediocri diligentia docui; Ad *παρρησιας* videor mihi minus idoneus esse; Ac etiamsi me in eo docendi genere sedulo exercuissem, tamen viri præstantiss. & eloquentissimi, D. Hedionis locum obire bonâ conscientia nullo modo possem. Quare etiamsi DEUS volet me vobiscum conjunctis operis, aliqua ipsi grata & Ecclesiæ salutaria facere, tamen eam functionem, quam Hedio sustinuit, nequaquam mihi reservari velim, sed plura coram DEO volente. Mitto vobis epithalamia, de meo conjugio edita, quorum lectionem spero non ingratham fore, eo etiam nomine, quod poema Willibrochii nomine editum, una cum versibus Græcis, totum Philippi est. Bene vale. Rostochii Idib. Februarii Anno 1554.

David Chytræus.

XIX.